

STAPHYLIS.
2. Tomus.
1712.



Nf. 27.



22. 22

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII,

DISSERTATIO

DE DICTO APOSTOLICO

I. Timoth. IV. v. 12.

QUÆNAM JUVENI

THEOLOGO AFFERANT

AUTORITATEM,

à quâ
Labores suos est exorsus Academicos

pro more introductus,

Anno 1614. 8. Junij.

ROSTOCHII

primùm Anno M. DC. XXVIII.

edita,

nunc verò recusa

Opera

M. GEORGII HENRICI GOETZII,

Lipf. SS. Theol. Baccal. & Burgensium

ad B. Virg. designati Pastoris Primarii.

WITTEBERGÆ,

Apud CHRISTIANUM SCHRÖDTERUM, Acad. Typ.

Anno clō lōc XC.

4. 4.

au 2 r



7
Inclytæ
Civitatis Burgenfis
DOMINIS
CONSULIBUS,
CAMERARIIS,
&
RELIQVIS SENATORIBUS
GRAVISSIMIS,

VIRIS
Nobilissimis, Consultissimis, Prudentissi-
mis, atque Spectatissimis,

Dominis, Patronis, atque Fautoribus,
omni honoris cultu devenerandis,

Elegantissimam hancce Dissertationem

â
B.D. JOHAN. TARNOVIO, Rostochiensium
olim Theologo celeberrimo,

conscripam, & jam publici juris denuò
factam,

gratitudinis declarandæ ergò,
cum calidissimo omnigenæ felicitatis voto,

consecrat

M. Georgius Henricus Goetzius.



M

Agnifice Dn. Rector, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimiq; Viri, Præceptores & Promotores omni observantiæ cultu venerandi, tuq; præclare flos nobilitatis & lectissima Studiosorum Juvenum corona: Cum omnium mihi,

qui publicè docent in Academiis, munus arduum videtur, tum eorum in primis, qui sacras interpretantur literas. Nam eorum omnium, quæ proponuntur ab aliis, mens humana non tantum est capax, sed etiam prima inventrix: soli Theologi mysteria ab æternis temporibus tacita peculiari eloquio, scripturæ & Ecclesiæ consono, explicare, ac hominum animis instillare satagunt: illa inquam divina mysteria, in quibus intellectus humanus est cæcus, à quibus aversa est voluntas nostra, & de quibus cogitare, ut decet, nihil quicquam novimus, ut cum scriptura loquar, vel ut cum Justino dicam, quæ sunt *ἡ ἀπὸ τοῦ νοῦν, ἢ ἀπὸ λόγου, ἢ ἀπὸ κατέληψιν τῆς κτιστῆς φύσεως.* Hinc legimus gentium illum doctorem, cum de muneris sui difficultate ageret, exclamasse, ad hæc quis idoneus? *πρὸς τὰ ἄνευ ἡμῶν*

Rom. 16, 25.

Eph. 4, 17.

Rom. 8, 7.

2. Cor. 3, 4.

2. 14. in exposit. fidei.

2. Cor. 2, 16.

1. 9. 11

Quæ cum considerant diligentius ii, qui se suaq; Theologiæ sacrarunt studia, facere non possunt, quin de suis planè desperantes viribus omne in divinâ gratia repositum habeant per fugium. *1. 16. 17.*

In his ego nomen meum profiteor, & hæc spe solâ fretus omnipotentis voluntati, quam per vos, patres Academi-

A 2

ci,



ci, ostendit, dum ad professionem vocabar Theologicam, refragari nec debui nec volui.

Rosarium

Videbam enim, si quid esset in me ingenii, quod sentio, quàm sit exiguum, aut si qua in Theologia cognitio, quam video esse minimam, aut si qua utilitas ex linguarum studiis speranda, à quibus ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse, earum rerum omnium vel in primis hæc rosarum Academia fructum à me repetere suo debeat. Hanc quippe recordabor mihi principem & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.

Quod itaque supremum illud numen benè vertat, hodiè mei muneris de more Academico, solenni introductione, faciam initium, idq; ea, quâ par est reverentiâ, à vobis, præceptores venerandi, suscipiam, susceptumq; eâ quâ debet diligentia, administrare conabor sedulo.

Sed ne per longius exordium aut ulteriores ambages vos detineam diutius, ad id, de quo nunc dicere constitui, accedam propius. Cum more solenni præfari aliquid hoc tempore neceffe haberem, non alienum à mea professione, nec vobis ingratum futurum putabam, si illam eligerem, materiam, quæ & meæ ætati & officio quàm optimè conveniret.

i. Tim. 4, 12. De illa dispicienti diligentius obtulit se illa D. Pauli sententia, quâ Timotheum suum instruit, qua ratione, juvenis cum sit, vel seni vel mediæ ætatis homini convenientem autoritatem sibi paret.

Dicam ergo, & dicam breviter, ex hoc ipso Apostoli monito, Num juveni arduum in Academia docendi sacras literas munus concedi recte possit, & cum concreditum est, qualem se gerere idem debeat, ne etas autoritatem S. S. Theologia Professori necessariam minuatur.

Quod

Quod dum facere aggredior à vestra Magnif. Reveren-
tiis, Excellentis & Humanitatibus summa observantia peto
atque contendo, ut meam in dicendo tenuitatem vestro
favore & in audiendo æquanimitate sublevertis, quò mea o-
ratio his veluti secundis subvecta ventis quem sibi propo-
suit portum facilius consequatur.

Cum juventutis propria sit iudicii inopia, & in rebus
agendis præcipitantia, dubitarum semper fuit, num mune-
ribus cum fructu præfici queant juvenes?

Et sanè Solon, sapientissimus quondam legislator,
lege sanxit, ne quis admodum juvenis ad magistratum aut
consultationes admitteretur, quamvis prudentissimus esset
visus. Notius item est quàm ut negari queat, in V. T. à Deo
ipso cautum esse mandato, ne quis Levita ante annum æta-
tis trigesimum exerceret ministerium cultus publicum.
Magna hæc est dubitandi ratio, à divino humanoque petita
jure, quæ ipsâ quoq; experienciâ comprobata est sapissimè.
Si enim legere & audire volumus externa, maximas Resp.
per adolescentulos labefactatas, à senibus sustentatas & re-
stitutas reperimus. Accedit, quod quantò spiritualia cor-
poralibus, divina humanis præstent, tantò quoque difficilior
videatur mysteriorum Dei dispensandi ratio, quàm rerum
terrenarum administratio, in quâ cum rerum suarum sara-
gant senes, usu rerum exercitatissimi, juvenibus ab experi-
entiâ minus instructis, verbi divini thesauros dispensandos
concredere, non satis tutum forteam videri poterat. Hæc
sunt, & alia nonnulla, quæ brevitate causa omitto, quæ con-
tra juventutem afferri possunt, & quidem (nec inficias eo)
fatis probabiliter.

Verum enim vero quod olim scribebat philosophus,
alios esse ætate, alios moribus & iudicio juvenes, commodè
huc transferri posse arbitror. De his igitur si quis quærat,

A 3 dicam

*judicij iustitiam
Juvenium
An juvenes
publicis mune-
neribus præ-
ficiendi?
Neg.
Stobæo serm.
112.*

*Cic. de se. 1. 2. 1. 11
nec.*

106. 12.

*Affirm. Juvenes
1. Eth. 3.*

Juvenis ^{judicio}
Carib

dicam aperte, muneribus publicis ipsos parvo cum fructu
præfici, etiam si ætate fortassis sunt proveci: de illis, qui, li-
cet annis sint minores, ab eruditione tamen, judicii dexteri-
tate, aliisque donis sat fuerint instructi, aliter pronuncian-
dum videri, non improbabiler dixerō.

Cum enim (quod in confesso est apud omnes) Deus
& natura nihil faciant frustra, juvenibus cur dona senum
propria concessa putabimus, nisi ut eorum sustineant vices?
Sic est certè, & quos hac gratiâ reliquorum juvenum nume-
ro Deus exemptos voluit, malè facimus, si nos eodem illos
cum aliis habemus loco. A natura sit juventuti propria
judicii inopia: ex gratia quibusdam illum defectum abun-
dè supplevit naturæ artifex, malè audiant plerique adole-
scentes ob præcipitantiâ sunt, quos circumspecta com-
mendat cunctatio.

Nec Solonis nobis obstat autoritas, cum de guberna-
tione loquatur politica, & quæstio præsens sit de regimine
Ecclesiastico. Nèrunt omnes, quanto perè hæc inter se di-
stent, cum alterum sit de hoc mundo, alterum regnum non
item. Et ut concedam, posse nonnullam in utraque guber-
nandi formâ dari convenientiam, cum utrobique viri usu &
judicio præstantes feliciter omnia administrant, quàm juve-
nes rerum plerarumque imperiti; tamen illud Solonis de-
cretum huc non facere arbitror, cum admodum juvenes,
hoc est, ut ego interpretor, in quibus juvenilis nondum
desedit lascivia, nondum defervuit fervor, à dignitatibus
arceat publicis, nos illos cum Apostolo admittendos puta-
mus, in quibus

Plaut. Tri- *surgit.* *Sunt enim, qui non tam ætate, quàm ingenio adi-*
num in An- *piscuntur sapientiam, & ubi juxta illud Sophoclis, ἔ τὸν χεῖ-*
rigone. *ἔ τὸν χεῖ/μαῖνον ἢ τὸ ἔργον ἀπαπείν.*

Quid

Quid verò (dicat quispiam,) ad Dei ipsius in V.T. decretum respondendum putas, cujus non tam facile potest rejici, quàm hominis Ethnici autoritas? fateor, sed & hoc fateamur necesse est, non omnia Dei mandata esse universalis & perpetua, inter quæ ut hoc etiam numeremus, nil nos urget. Agit quippe illud non tam de publico in Ecclesia docendi munere, de quo nunc quærimus, quàm de ministerio Levitarum externo, quod occupatum erat in sacrificiis offerendis, tabernaculi vasis & instrumentis purgandis, omnibusq; ejus partibus, cum opus foret, hinc inde transportandis. Hoc quia corporis vires requirebat, & singulari cura ceremoniali peragi oportebat, ne quid fieret perperam, diutius eos ab anno ætatis vigesimo quinto exerceri ante conveniebat, quàm ipsum subirent officium publicum, cum jam annum essent ingressi trigésimum.

[Faint handwritten notes in the right margin]

Num. 8.24.

Hoc itaque nihil obstante, juvenes donis mediocribus à Deo ornatos ad munus docendi publicum adhiberi posse censeo. Quod dum dico, illud repeto, sermonem mihi esse de iis juvenibus, in quibus ætatis defectum singularium donorum supplet præsentia, inter quæ cum non postremum obtineat locum, peculiaris rerum gerendarum dexteritas, non est quod metuamus, ne sicut gentilium eversas legimus juvenum temeritate Respublicas, ita ipsorum consiliis pejus habere incipiat Ecclesia, cum eos tantum velimus, qui cum ab aliis tetrioribus vitiis, tum præcipuè ab ambitione & præcipitantia sint alieni.

1. Cor. 12.

Hos non rejicit Apostolus, cum episcopi officium committendum negat neophyto: hos non intelligit Nazianzenus, cum sui temporis morem reprehendit, quo novitii quæ & nondum satis exercitati ad gubernationem evehantur Ecclesiæ. In hos non quadrat illa Xenophontis similitudo, quod quemadmodum novitii citharædi multas

1. Tim. 3. 6. in apologetico, & in magnum Basil.

cor.



Cip. l. 1. Offic.
Seneca. *Si quis magister
agitur et & puer ad
notis: quibus est
illi dicitur excitari,
māp. Iliad. y. Na
Nautica zianz. apo-
Lex. loget. & in
M. Basil.*

corrumpunt citharas, ita juvenes gubernatores evertant
Resp. Illos notant, illos perstringunt, qui quod *αὐτὴν ἀλάδαι*
dicebat Pythagoras, stragula nondum habent convoluta,
hoc est, affectus nondum in gyrum rationis ductos, nec satis
domitos, sed quorum mentes adhuc sunt vagæ & dubiæ, ac
ut Homeri *ἐν Πάλλω τῶν πῶς* dicam vocabulo, *ἠεὶ ἐθούσα*. In il-
lis evehendis meritò laudamus legem nauticam, quâ nemo
admittitur ad gubernacula, nisi qui prius diu ad remos se-
derit.

Intelligere vos arbitror, de quo juvene nobis sermo
sit, & quem publico præfectum velimus muneri. Absit ut
eorum patrocinemur arrogantia, quos gravissimè alicubi
exagitat magnus ille Lutherus, qui cum pericopen aliquam
verbi divini legerint, seiplos tandem admirantur, cupiuntq;
aliis præferri, qui, ut scribit eleganter Nazianzenus contra
Eunomianos, subitò fiunt doctores, perinde ut in fabulis su-
bitò creverunt gigantes. Apostolus in Timotheo suo eum
nobis proponit juvenem, qui a puero sacras literas didice-
rit, & cum doctoribus autoritate præcellentibus assiduè ver-
satus sit. Talis erat Basilius, quem legimus usum consue-
tudinè sanctorum patrum, Athanasii in primis & Gregorii
Neocæsariensis, cujus præcipua fuit autoritas, cum Pauli
Samosateni damnaretur impietas, talis erat Hieronymus,
qui diligenter audivit Nazianzenum in Cappadocia, Dama-
sum Romæ, Epiphanium in Cypro, Apollinarium in Syria,
& alios.

2. Tim. 3, 15.

Athanasii
Basilius Gregorium
Neocæs.

Chyt. de
Hieronymus
stud. Theol.
p. 23.
Sipul

Exempla.

Jeremie,
Jer. 1, 6. 7.

Rationes audiistis, cur juveni, quem sat multis descri-
psimus, docendi munus possit rectè imponi: nunc exemplis
rem illustrabo paucis. Et sanè ambigo, num ullum huic
instituto meo queat inveniri aptius, quàm quod in Jeremia
sapientissimus Ecclesiæ suæ gubernator extare voluit. Haic
ad munus illud prophetæ arduum vocato & pueritiam præ-
ten-

tendenti, ne dicit, inquit Jehova, puer sum, sed ad quaecun-
que misero te, ito; vide, praeficio te hodierno die gentibus
& regnis ad aedificandum & plantandum. Mirum hoc ra-
tioni humanae accidit, quod senioribus puerum Deus praefi-
ciat doctorem, toti regno unum opponat pusillum. Sed
usque adeo verum est, stultitiam Dei sapientiae humanae
longe praestare, ac virtutem illius in infirmitate perfici, ut
eventus sat felix in propheta puero probaret, non fore un-
quam consilium Domini irritum. *Is. 8. & 26*

Unum, idque satis luculentum Jeremiae vidistis exem-
plum, considerate jam alterum non minus huic meo pro-
posito idoneum. Puer erat Samuel, cum a Deo ad prophe-
tae iudicisque munus vocaretur: longe tamen melius id admi-
nistrasse legitur, quam canis & annis venerandus Heli.

Et ne quis dicat, V. T. haec esse exempla, quae huic nostro
tempori vix congruant, adjiciam ex Novo similia. Timo-
theum juvenem a Paulo creatum esse in celeberrima Asiae
urbe episcopum, vel ex eo constat loco, de quo in praesentia-
rum agimus, & quis est, qui asserere ausit, suo illam juvenis
administrationem publicam caruisse successu. Quid ego
dicam de Athanasio? quid, ut vetera mittam exempla, de ma-
gnis quondam hujus Academiae luminibus Davide Chytrao
& Simone Pauli p. m. qui in juvenili aetate ad professionem
evecti, Theologicam senilem suis auditoribus probarunt
gravitatem & prudentiam. Comptobarunt suo exemplo,
verissimum esse illud quandoque, quod Sapientiae quarto ca-
pite habetur: non omnis, quae longeva est senectus, honora-
ta est, neque numero annorum mensurata, sed prudentia ho-
minibus est canities, & vita immaculata est senilis aetas.

Possent plura adducere, nisi metuerem, ne vestra in au-
diendo facilitate abuterer. Relinquo igitur hoc prius meae
orationis caput, & ad alterum venio. Cum enim jam ex

B

iis,

Jer. 1. 6.

*1. Cor. 13. 25.
2. Cor. 12. 9.*

*Tempus
dicitur.*

*2.
Samuelis,
1. Sam. 3. 19.*

*3.
Timothei,*

*4.
Athanasii,*

Chytraei,

Pauli, & Simonis

Sap. 4.

*Mat. 23. 15.
Mat. 23. 15.*

2. Caput



iis, quæ dicta sunt, constet, juvenes pios eruditos & modestos rectè posse publico docendi fungi munere, cum ritè à magistratu ac senioribus sunt vocati, porro videndum erit, quæ ratione ad officium evedti publicum, eam sibi parent auctoritatem, quæ in doctore requiritur, absque quâ parum apud auditores proficit, cum parvi fiant ejus monita, qui ipse non fit magni.

Chron. Car.

l. 3.

Cum in Synodo Nicena multi episcopi privatas inter se accusationes imperatori Constantino M. exhibuissent, is assignatas omnes asservari jubet, & Synodo jam finitâ in ignem omnes conjecit. Quod factum quum mirarentur plerique, causamq; ejus ignorarent, dictum adjecit Imperator notatu dignissimum: Sacerdotum, inquit, crimina non sunt efferenda in publicum. Vidit pro eâ, quâ pollebat, sapientiâ, quantum damni passura esset Ecclesia, si quid de auctoritate episcoporum publicatione criminum decessisset, probeq; intellexit, quantum è contrario referret, eandem suppressione horum conservari.

Plur. 18.
4.

Verissimum siquidem est, quod ait in Hecuba Euripides, non tantumdem valere orationem cum ab illis, qui sunt in existimatione, & qui non sunt, proficiscitur.

Plur. 18.

popl.

Cum aliquando Roma juvenes nobiles tumultuarentur, nec alios præsentis senatores magni facerent, tantum in hac verba præloquente Augusto, Audite juvenes senem, quem juvenem senes audiverunt,

Ad. 19. conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

tantum scilicet auctoritate apud omnes valebat, qui prudentia & longo rerum usu pollebat.

Et hac quidem via ac modo politicis sua constat auctoritas: qua ratione eadem Theologo juniore paretur, audiamus porro ex Apostoli hoc aphorismo: Nemo juventutem tuam contemnat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate. *1. 3. 1. 1.* Ne

Ne ob juventutem sit contemptui, apud quos in precio esse debet Theologus, typum & exemplar eum esse vult suis auditoribus, quod in omnibus respiciant, quod imitentur, quod exprimere studeant, in quo tanquam tabella delineatum iis sit, quid fugere, quid sequi debeant. Sicut ii, qui artem pingendi docent, non satis habent, ut discipuli ipsas rerum pingendarum ideas & formas externas animo concipiant, sed in hoc animo oculisque eos jubent esse intentos, ut omnes lineas & ductus à magistro in *propeauiū* propositos observent, & cum observarint, exprimant: ita etiam vult Apostolus, ut non tantum doctores multum de virtutibus loquantur, aliosque ad eas exhortentur, sed etiam se ipsos quasi vivum exemplar iis sistant, in quo optimè illa oculis conspicienda exhibeantur, quorum ideæ oratione hactenus ab illis fuerunt delineatæ.

Typus.

Basil. M. epist. 1.

i. 1. 2.

Huc Salvator noster respiciebat, cum dicebat discipulis suis, vos estis lux mundi, & civitas in monte edificata. Quemadmodum enim nec lux ponitur sub modium, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus, qui sunt in ædibus; neque urbs excelsa occultari ullo modo potest: ita nec virtutes doctorum latere possunt eos, quibus præfunt in domo domini, quæ est Ecclesia. Splendeat igitur lux eorum coram hominibus, ut videant ipsorum bona opera, glorificentque patrem suum, qui est in cœlis.

Matt. 5, 14. ib. v. 15.

1. Tim. 3, 15. Matt. 5, 16.

Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto, ut scribit Salvianus, cui ad stipulatur Bernhardus; Monstruosa res est, (ait) gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, vultus gravis & actus levis, ingens autoritas & nutans stabilitas. Cavendum igitur est Theologis, & ca-

lib. 2. ad Eccles. lib. 2. de consul. ad Eugenium Papam.



lib. de dign. sacer. c. 3. vendum est omni studio, quod est apud Ambrosium, ne sit nomen inane, crimen immane, ne sit honor sublimis & vita deformis, ne sit deifica professio & illicita actio, ne sit religiosus amictus & irreligiosus proventus, ne sit gradus excelsus & deformis excessus.

Cic. act. 5. in Ver.

Contentur ut sint exemplar fidei, sint exemplar morum, ut quod corde sentiunt, ore profantur, opere etiam, quantum fieri potest, adimpleant. Quomodo namque feras alieni ultorem & proprii criminis defensorem? Non hæc scripta, sed naturæ insita, non lata, sed nobiscum nata, lex est, ut, quæ vindicamus in alio, nobis ipsis vehementer fugienda sint. Etenim non modò accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est, qui, quod in alio vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur.

Nihil idcirco agit, qui, ut in pietate multum proficiant, hortatur alios, quem ipsi in pietate deficere credunt. Habent suos typos & antecessores politici, habent suos *ἡγεμόνας* ii, qui castra sequuntur, habent suos magistros, qui ad artes animum applicant mechanicas; fidelibus in fidei puritate & morum integritate imitandi proponuntur veri & sinceri Theologi.

Rom. 15, 16.

Orig. l. 10. com. ep. ad Rom.

Hi quia juxta Paulum, Evangelium Dei *ἰεργεργῶσι*, & q. sacrificant, curare omni ratione debent, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur, sed, quoad ejus fieri potest, se ipsos primùm immolent, se vitiis jugulent, peccato membra enecent, ut non solùm doctrina, sed & vitæ exemplo auditorum salutem oblationem Deo faciant acceptam. Secus qui faciunt, demonstrato aliis vitæ fonte ipsi sunt mortui siccitate, factique sunt tanquam statuæ mercuriales, quæ cum viatoribus, quò eant, ostenderunt, ipsæ solidæ atque immobiles remanserunt.

August. serm. 34. de tempore.

Hoc

Hoc ne fiat, monet Apostolus Titum, monet Timotheum, ut sint typi fidelium: imo ut hi tantò obediant libentius, quod jubet, ipse facit, & seipsum tale proponit exemplar, cum ad Philippenses scribit: *Estote mei imitatores, & eos considerate, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari.*

*Tit. 2, 7.
1. Tim. 4, 12.
Phil. 3, 17.
1. Cor. 4, 17.*

Quemadmodum verò iis, qui aedificii alicujus pulchritudinem contueri cupiunt, non sufficit semel id oculis usurpasse, sed identidem recurrentes, ac accuratius perlustrant omnia, & luminibus curiosis pervagantur, quicquid uspiam extare viderint: ita etiam hoc dictum nobis contemplantibus faciendum existimo, & non tantum, quis ejus sit sensus, *ὡς ἐν τύπῳ*, indicare, verum etiam in singula verba inquirere diligentius, est operæ precium.

Primo summam Apostolus complectitur, in quibus præluce doctores auditoribus debeant, videlicet *ἐν λόγῳ* sive doctrina, *ἐν ἀναστροφῇ* conversatione & factis, postea distinctius subjicit, in quibus virtutibus occupatam velit doctrinam junioris Theologi sanam, & conversationem inculpatam. Inter has chorum ducit charitas in proximum, quæ cum fatua esse non debeat, nec ad quævis connivere, Zelum ei adjungit, qui prava dogmata refutare, & prava mores corrigere non reformidet, deinde charitati addit suum fontem, nempe fidem rectam, insignemque hujus fructum, Castitatem, tandem subjicit.

*Sex virtutes
Theologi*
1.
2.
3.
4.
5.
6.

Hæc sunt sex exercitia sacra, quibus deditum esse vult juniorem Theologum Apostolus, longè utiliora, quàm quinque illæ juveniles concertationes, quibus Romanam pubem occupatam olim legimus, longè difficiliora quàm quibus juvenus Spartana magno labore assuefiebat.

Cic. 2. Tusc.

Nam quod primum spectat, ut fidelium typus sit *in sermone* seu verbo, id præcipit, ut scripturam sacram nota

1. Sermo.

B 3

cturna



1. Sermo 115 de
legat sermo.

Augustinus
Epistola 3.

Savorov. in
proem. ex-
pos. secunda
in orat. do-
minicam.

2. Tim. 1, 13.

1. Tim. 1, 3.

1. Tim. 6, 20.

1. Tim. 4, 7.

Tit. 2, 1.

Ε. νεωτερικῶν
δογμῶν ἁποστο-
λικῶν.

eterna diurnaq; manu verset, legat, scrutetur, eiq; animum attendat, si quis est, qui hoc difficultate omni carere existimat, eo ipso prodit, se nunquam serio his dedisse operam, literis. Quantò rectius omnium iudicio profundè doctus Theologus Augustinus de hoc meditationis genere scribit: Tanta est Christianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio & meliore ingenio addiscerem. Per lectionem enim iam aliquid intelligentiæ consecuti, debemus deinde verba sanctissima meditari, & spicas cum Apostolis manibus confri- care, ut relictis paleis, quæ humana infert sapientia, ad grana perveniamus, in super & grana terere dentibus, ut medullam eorum elicientes panem ex ea dulcem conficiamus, ut verbis pii cuiusdam doctoris utar.

Neque sufficit Theologo, diligenter sacras literas evoluisse, sed exigitur præterea, ut quæ ipse didicit, cum aliis communicet, & sermonem Domini prædicet fideliter non tam suis, quàm scripturæ & Ecclesiæ phrasibus. Huc tot Apostoli gravissimæ spectant exhortationes, cum mandat ὑποὐπόσιν ἔχειν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων, μὴ ἐπεροδιδασκαλεῖν, οὐκ ἐπέσθαι τὰς βεβήλας κεινοφωνίας, καὶ τὰς γεαύδας μύθους ᾠδαιτεῖν, λαλεῖν ἅ πρὸς τὴν ὑγιαίνουσα διδασκαλία, & quæ alia huiusmodi tam emphaticis extulit Apostolus vocabulis, ut in aliam transfundi lingvæ commodè nequeant. Repere eas est in epistolis ad Timotheum & Titum juvenes scriptis creberrimè, nullâ aliâ certè de causa, quàm quod sciret Apostolus, mentem juvenum novitatis esse avidam, laudisq; quam frustra sperat, valde cupidam.

Quot verò vicibus patres hortantur, ut cum Ecclesiâ non tantùm sentiamus, sed etiam, quoad ejus fieri potest, loquamur. Instar omnium sit nobis Augustinus, dum scri-

scribit : Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum
 licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gi-
 gnat opinionem. Nam si quis diversam docet doctrinam,
 neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi
 ei, quæ secundum pietatem est, doctrina, is inflatus est, nihil
 sciens, sed insaniens circa questiones ac pugnas de verbis, ex
 quibus nascitur invidia, lis, maledicentia, suspiciones mala.
 ωσαυτα τει βαϊ διεφθαμενων ανθρωπων τον ναυτην αποσενηθενων
 της αληθειας. Ioh. 17. 17. I. Tim. 6. 3. 4.

Ecce, Paulo teste gravissimo, uberem malorum ex no-
 vitatis studio productam messem, quam tuo malo metas
 licet, qui in sermone typus superborum, quam fidelium
 esse maluisti. Hic, de quo agimus, est sermo veritatis, à quo
 qui sua culpa aberrat, mendacii evadit mancipium: hic
 est sermo Dei, quem qui adulterat sciens, filius redditur
 Diaboli: hic est sermo vivus, à quo qui desciscit temerè,
 mortem oppetit æternam.

Quorsum verò istæc tam multa? nempe ut intelliga-
 mus, Christi oves, qui sunt fideles, vocem ejusmodi novitii
 haud attendere, nec magnopere eum curare, cui non est
 concordia Ecclesiæ & salus piorum curæ.

Hoc primum est exercitium, quo depositum in arca
 utriusque foederis sibi concreditum sartum tectum servare
 jubetur Theologus, ut nōrit tanquam bonus paterfamilias
 ex thesauro suo, cum opus est, promere vetus & novum.
 Hac ratione Christus (si magna licet componere parvis)
 auctoritatem sibi paravit maximam, cum concionem in
 monte habuisset eam, in quâ se verum fidelium typum in
 sermone Dei rectè dispensando versans Paulus, tantam sui
 Lystrensibus incussit reverentiam, ut pro numine eum
 culturi, nisi ipse prohibuisset, fuissent.

Sed — 14. 17. 16. Ioh. 5. 3.



II. Conver-
satio.

l. 3. divin. In-
stit. c. 4.

Sed quia non tantum in colendo sapere (ut Lactan-
tius eleganter ait) sed etiam in sapiendo colere debemus,
alterum exercitium subjungit Apostolus, ut nempe Theo-
logus in conversazione vitam ducat inculpatam, & morum
gravitate commendabilem.

A. Job. 8, 46.
Feb. 7.

S. B. 1. Sam. 12, 3.
19.

C. Job. 1, 19.

Job. 5, 35.

Eam ad autoritatis arcem nobis præivit viam Salva-
tor, quem, cum nemo peccati arguere jure posset, obser-
vantia cultu dignabantur ii, quotquot fidelium in Judæa
nomen tueri volebant. Samuel propheta populum Isra-
eliticum in officio cum retinere non poterat, vitæ suæ
contra eos exaggerans innocentiam, ad poenitentiam per-
duxit lapsos. Hæc viâ ad illum autoritatis gradum per-
venit baptista, ut omnium suffragiis vel juniori summus
deferretur honos, vitam namque cum gereret innocentia
conspiciam, omnium in se convertit oculos, omnium in
sui amorem pertraxit animos.

Nazianz. in
tetraſtichis.

Hoc pietatis exercitium si quo tempore fuit necessa-
rium, hoc nostro carere eo non potest Theologus, qui cum
fructu præesse suo velit muneri, tanta est nunc hominum
perverſitas, ut potius in alios, quam seipsos descendant, in
aliena magis quam sua inquirant vitia, & libentius in alie-
nâ ignominia sibi eant quæſitum laudem, quam sibi ad ve-
rum decus aditum faciant. Quid autem, obsecro, emo-
lumentum ex labore caperet architectus, qui, quod unâ manu
ædificavit, alterâ statim dirueret? tantundem & multo
minus commodi ex ejus sperare licet laboribus, qui cum
benè docet, vivit pessimè, quod judicium est de malè vi-
ventibus Theologis, illius, qui inter patres solus cognomen
adeptus est Theologi. *l. 15. v. 8. Hic regnum me.*

Et quid autoritatibus doctorum opus est, cum natura
nos doceat, mores potius dicentis, quam verba perſvadere?
Qui enim possumus animum inducere, eum benè nobis ire
con-

consultum, qui id dat consilii, quod ipse exequi negligit, frustra est, qui id se aliis persuasurum sperat, quod sibi persuadere ipse non potuit. Novit fidelium coetus, istos vanos habere quidem pietatis speciem, sed abnegare ejus virtutem, quæ est, ut abnegatâ impietate & mundanâ concupiscentiâ castè, justè & piè vivamus in hoc seculo. *2. Tim. 3, 5. Tit. 2, 12.*

Sunt verò qui etiam in sceleribus suis exultantes id sibi accommodant, quod Christus quondam in Phariseorum protulit reprehensionem: *quicquid precipiant, ajunt, servandum & faciendum esse, secundum opera verò sua non esse faciendum.* Honesta scilicet est oratio, quâ nil proficiunt aliud, nisi ut satis superq; demonstrent ipsi, se esse ex illis *αυτοκατακριτοις*, quorum in Epistola ad Titum fit mentio. Non certè in hanc illorum ivit sententiam, Apostolus, qui præscriptum suis auditoribus reliquit: *memores estote ductorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitamini fidem, contemplantes, quis fuerit exitus conversationis ipsorum.* *Matt. 23, 3. Tit. 3, 11. Hebr. 13, 7.*

Videtis quàm necessarium hoc alterum Theologo sit exercitium, sine quo nec ipse Christiani tueri nomen potest, tantum abest, ut veri Theologi meritò usurpare possit titulum.

Tertium Theologo juniori præscriptum exercitium in *charitate* consistit, charitate Christianorum virtutum maxima, cum duratione, tum fructu: duratione, quia quando reliquæ omnes cum hac vita desinunt, hæc demum florere incipiet: fructu, quia ceteræ pleræque tantum suos possessores juvant, hæc aliis prodest præcipuè. Et quia aliis prodest, haud erit difficilè probatu, quantum ad auctoritatem parandam faciat. Nascitur auctoritas, cum de aliqujus virtute constat, constare verò de ea melius haud potest, quàm ex officiis & benevolentia aliis declarata, quæ

III. Charitas.
1. Cor. 13, 13.
& Hunn. in b. l.
Vide Nazianz. orat. 25. Philopatias.

C

vel



vel est ipsa caritas, vel ejus certè fundamentum. Illis quisquis sibi homines devinxerit, dubium non est, quin ab illis vicissim ametur, suspiciatur, colatur, quid autem est aliud autoritate præditum esse, quàm observantiæ cultu honorari, qui honor & cultus ex charitate profluit.

Eph. 4, 3.

1. Tim. 1, 5.

Rom. 13, 10.

Gal. 5, 22.

2. Cor. 13, 4, 5.

Job. 13, 35.

Chrysoft.

hom. 32. in 1.

Epist. ad Cor.

1. Petr. 2, 21.

&c.

1. Job. 3, 18.

Hoc est illud pacis vinculum, quo Paulus suos invicem devinctos cupit Ephesios: hæc est finis præcepti & legis impletio: hæc fructus Spiritus Sancti princeps. O vitæ Christianæ caritas dux! ô pacis suavissima parens, discordiæ expultrix, animorum conglutinatrix! quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse posset? tu non invides alteri, tu non tumultuaris, neque inflaris, neque agis, quod pudendum est, neque quæris, quæ sunt tua, neque cogitas, quod malum est, tu omnia suffers, omnia credis, omnia speras, omnia sustines: tu es vera discipulorum Christi nota, quæ suos à mundo dignosci voluit. Quemadmodum enim ubi purpuram & diadema primùm intuemur, jam regiæ majestatis signum nullam aliud expectamus: ita cui charitatis diadema incumbit, jam nihil obstat, quo minus Christi discipulus verus existimari possit.

Exemplum charitatis in Christo, quæ est ipsa caritas, nobis proponit Petrus, qui injurias etiam à Judæis sibi illatas beneficiis vincere, quàm justii judicii rigore pensare maluit. Ejus sequamur vestigia, & non diligamus verbis neque linguâ solùm, sed factis & veritate. Hoc ergo cum spectat Theologus, quod antea dicebam, ut ab iis, quibus præest, colatur & ametur, expedita est vel comici testimonio via, ut, si facilè omnes perferat ac patiatur, adversus nemini, nunquam præponat se aliis, facillimè sine invidia laudem inveniat & amicos paret.

Verum,

Verum, ne id Theologo nostro accidat, quod ait poeta, *Horat. art.*
 dum vitat stultus vitia, in contraria currat,
 nunc opus est porrò, ut limites ponamus cum Apostolo, *IV. Zelus. Gal. 4. 18*
 quousque se caritas hæc extendere jure possit, & meritò de-
 beat. Non sine discrimine omnia suffert, sed quæ salvâ
 tolerari possunt conscientia. Non gaudet injustitia, sed *1. Cor. 13. 6.*
 gratulatur veritati, iis, quæ paulò ante adduxi, subjicit A-
 postolus. Hinc Dominus ut seduli & industrii Episcopi
 labores in reprehendis erroribus exantlatos probat, ita *Apol. 2. 19.*
 tepidi & ad quævis somniculosè conniventis scelera negli- *3. 15. 16.*
 gentiam gravissimè reprehendit. Sic itaque caritatem
 nobis commendatam habeamus, ut veritatem obscurari
 non sinamus; ita lenitati demus operam, ne hæreses inva-
 dant Christi Ecclesiam.

Quod igitur est quartum Theologi junioris *W. uva-*
qua? hoc, ait Apostolus, ut sit typus fidelium *in spiritu,*
 hoc est, vero pietatis Zelo, qui veritatem cœlestem poten-
 ter asserat, errores animosè refutet, & vitia severè casti-
 get. Hic zelus quia singularis est Spiritus Sancti in suis
 organis motus, ideo per præcellentiam quandam, spiritus
 simpliciter dicitur. *2. Cor. 12. 11. ἡ δὲ πνεῦμα ἁγίου ἐστὶν.*

*Aretius in
comm.*

Hoc spiritu præditus erat Moses, cum tabulas legis, *Exod. 32. 19.*
 idololatriâ populi commotus, confringeret. Hoc spiri- *Num. 25. 7.*
 tu agebatur Pinehas, quando adulterum cum scorto impu-
 rissimo hastâ trajiciebat: hoc spiritu ignem cœlo dedu-
 xit Elias super impii regis impios satellites: hoc spiritu mo-
 tus, ita acerbè Phariseos excepit baptista, ut vix quicquam
 in eos potuerit dici gravius. Hic spiritus & Zelus Chri-
 stum impulit, ut bis templo profanam vendentium & e-
 mentium excuteret colluviem, qui tanto gloriæ Dei vin-
 dicandæ ardebat studio, ut Zelo domus Dei fere absumtus
 prædicetur.

2. Reg. 1. 10. 12
Matt. 3. 7. 8.
Job. 2. 15.
Luc. 19. 45.
Psal. 69. 10.

C 2

Horum



Tit. 1, 9.

*Nebem 4,
17. 18.*

Jer. 10, 1.

Horum insistens vestigiis Theologus sibi quoque dictum putet, ut & exhortari doctrinâ sanâ, & contradicentes falsitatis convincere studeat, & (quod de populo Dei, cum templum & urbem sanctam restauraret, legimus) unâ manu teneat gladium spiritus, & alterâ civitatem Dei ædificet: non tantum plantet, quæ sunt frugis bonæ, sed etiam evellat pro re nata herbas noxias.

Ut enim sunt duo hominum, quibuscum agit, genera, alterum sanabilem, alterum in errore præfractorem, ita diversus cum iis agendi tenendus est modus, illud leniter corrigat, hoc durissimè tractet, imitatus hortulanos industrios, qui si corrigere opus sit, surculos leviter flectunt & fulcris muniunt, ramos vero grandiores vi curvant & vel pondoribus urgent vel funibus arctissimè constringunt. Tollat hic Zelus & è cõmuni cõetu removeat, qui in doctrina pravis dogmatibus inficiunt, alios, & in vitâ nocent pravo exemplo. Ut enim in corpore humano immedicabile vulnus

ense recidendum est, ne pars sincera trahatur, ita etiam in Christi corpore mystico membra amputanda sunt putrida, ne vitium serpat ad sana & viva. Et quod pastoribus præceptum dat poëta, pastoribus animarum observandum etiam erit, ut continuo verbo culpam compe-
scant priusquam

*Virg. 3.
Georg.*

Dira per incautum serpent contagia vulgus.

Rom. 10, 2.

Sed cautio hic necessaria prætereunda non est, videndum namque est, ut hic Zelus solâ verbi divini regatur normâ, absque cujus ductu cœcus potius impetus & furor, quàm spiritus nominandus est, & Apostolo Zelus non secundum scientiam indigitatur.

Quar-



21
Quartum jam audiistis Theologo propositum *vijō. V. Fides.*
πιστις, accipite etiam quintum, idque vel præcipuum,
cum consistat in *fide*: fide, quæ omnium ceterarum vir- *Chyt. reg.*
tutum fons & mater, pietatis Christianæ anima, & æterna *vite.*
salutis origo est; hæc Deum agnoscit, agnitum desiderat,
desideratum amplectitur, inque eo, quem amplexa est, sua-
viter acquiescit; hæc præditus rebus prosperis cavet tolli,
rebus adversis cavet mergi; hæc est illud scutum, quo pos- *Eph. 6, 16.*
sunt omnia Satanæ ignita exstingui jacula.

Cum Lacedæmonii olim suos in militiam ablega- *Auson. epig.*
bant filios, scutumque tradebant, seriò injungebant, ut *24. & ibid.*
vel cum hoc vel super hoc reverterentur, absque quo si *Joseph. Scal.*
redirent ex bello, fore ut à patria exclusi cum ignominia
perpetuum exularent; quid putamus aliud nobis ab Im-
peratore nostro demandari, cum ad bellum spirituale nos
educit, & scutum fidei tribuit, quàm ut aut cum hoc aut
super hoc revertamur, absque quo qui hinc decedunt, fu-
turum omnino esse, ut à patria cœlesti exclusi perpetuis
crucientur angoribus.

Servarunt hoc scutum & super eo relati sunt ab an-
gelis ad dominum omnes Apostoli, omnes sancti patres,
omnes pii martyres; exstinxerunt eo omnia mali spiri-
tus ignita jacula. Hunc ejus usum longè maximum cum *2. Cor. 12, 7.*
ipse Paulus in quotidiana sua cum Satanæ angelo lucta ex-
pertus esset, ut de vera fide sint solliciti reliqui Christia-
norum duces, tantopere hortatur, hoc mandatum com-
mendat, ut militent bonam militiam, retineant fidem & *1. Tim. 2, 18.*
bonam conscientiam. *19.*

De serpentibus narrant Physici, quod capite salvo fa- *Epiph. con-*
cile *tra ophitas.*

cillè reliquarum corporis partium jacturam ferant, imò
resarciant : ego de fide, pietatis capite, idem verè dicam,
quod hâc sanâ benè in homine Christiano se habitura sint
reliqua omnia : simus ergo, quod jubet Salvator, in hoc
Matt. 10, 19. prudentes ut serpentes, ut præclarum fidei servemus de-
positum.

Matt. 13, 44.
46.
Matt. 25, 14.
5c.
Laurentium Martyrem memorant historiæ à tyran-
no nullis minis adduci potuisse, ut ei Ecclesiæ thesauros
traderet. Insigne hoc constantiæ est exemplum, & fideli-
tatis, quod concredita sibi bona terrena tantâ fide serva-
bat. Quid facturum fuisse putatis, si quis cœlestia ereptu-
rus fuisset *κεμήλια*? quid verò annon concreditus est o-
mnibus Theologis cœlestis sapientiæ thesaurus, preciosis-
sima doctrinæ sanæ margarita? concreditum est autem
hoc ipsis talentum, non ut defodiant, sed eo lucrentur do-
mino suo plurimum.

Sed ut eò, unde divertit aliquantum, redeat mea o-
ratio, præclarum hoc parandæ juveni Theologo autori-
tatis firmamentum est, si illam de se apud Auditores pios
concitarit opinionem, quod rectè de Deo, rebusqve divi-
nis sentiat, & sincerè doceat. Ut enim in illis multum
proficiant, unicè exoptant fideles Christi discipuli, gratu-
labunturqve sibi de eo doctore, sub quo sperant magnos
se facturos in fide & pietate progressus. Inter Philoso-
phos obtinet, ut quò quis habetur doctior, eò majori va-
leat autoritate : inter doctores Ecclesiæ meritò is præpol-
lere creditur ceteris, qui in cognitione voluntatis Dei pro-
fecit plurimum, & in hoc incumbit, ut suâ operâ profici-
1. Sam. 2, 30. ant alii; honorantes enim se honorat Dominus, arcanum
Pf. 25, 14. & Jehovæ adest reverentibus ipsum, & omnis veræ sapientiæ
III, 10. initium est timor Domini.

Sed

Sed ut concludam tandem, ad sextum veniamus ex- *VI. Castitas.*
 erciturium Theologicum, quod in *castitate* corporis & a-
 nimi conservandâ consistit. Ordine quidem id hoc loco
 est ultimum, necessitate verò non postremum. Cum e-
 nim tantum mundi corde Deum sint visuri, (quod fit in, *Matth. 5, 8.*
 hac vita in verbo) constat, quod & scriptura docet, & ex- *1. Cor. 13, 12.*
 perientia testatur, cœcitatem libidinum esse pœnam.
Scortatio, clamat Hoseas, *Et ebrietas cor auferunt*, id quod *Hos. 4. 11.*
 suo exemplo comprobasse Ephesios, narrat Apostolus. *Eph. 4, 18. 19.*
 Namque ut fumus apes, ita feculenti & impuri mores con-
 tristant, imo abigunt sanctissimum illum Dei spiritum, qui
 mentem piorum illuminat.

Hanc ob causam toties hortatur Paulus, ut sciat u-
 nusquisque suum vas possidere in sanctificatione & ho-
 nore, ut glorificet Deum in corpore & spiritu suo, quæ sunt
 Dei habitaculum. Cumque omnes, ut scribit Tertullia- *de cultu fœ-*
 nus, templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiri- *minarum. 1. Cor. 3.*
 tu Sancto, ejus templi ædituus & antistes est pudicitia, *in princip.*
 quæ nihil immundum aut profanum inferri sinat, ne
 Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus de-
 relinquat.

Tristissimum in Marcione exemplum proponitur, *Marcion.*
 qui cum libidinibus indulgebat, eò tandem devenit amen-
 tiæ, ut tam horribilia protulerit dogmata, ad quorum nar-
 rationem etiam pia mens horret. Et cum in omnibus
 Christianis valdè reprehendatur impuritas, tamen haud
 scio, an in ullo plus præbeat scandali, quàm in doctore sa-
 crarum literarum publico, ad cujus vitam auditores suam
 plerumque vel inscii conformant.

Quod cum ita sit & suo, & eorum, quibus præest nomi-
 ne castitatem colat Theologus, quam præcipit Deus, amant
 angeli, venerantur pii, laudant honesti.

Hæc



Hæc sunt sex illa sacra exercitia, in quibus tanquam gymnificis certaminibus juniorem Theologum vult exerceri Apostolus, quibus si incubuerit, fore pollicetur, ut apud fideles non tam spectetur doctoris ætas, quam dona & vitæ integritas.

Longiorem orationem restanta forsitan desiderat, vestra certè in me audiendo benevolentia, & in his, quæ in medium attuli, dijudicandis dexteritas brevior. Nam adduci haud possum, ut putem, quem Deus in juventute donis instruxit necessariis, quem vitæ & morum commendavit probitas, quem probavit solida rerum cognitio, eum munere docendi publico indignum quisquam vestrum quod statuat. Neque etiam unquam ut dubitaretis cidisse crediderim, quin qui doctrinæ puritatem, vitæ integritatem, charitatem non fucatam, gravitatem justam, fidem sinceram, & castitatem raram suis probârit Auditoribus, eam sibi paraturus sit auctoritatem, quam Theologo dixi necessariam.

Deus Opt. Max. cui, quæcunque hæc dicta sunt, grata acceptaq; esse cupio, nobis omnibus eum animum inspiret, ut hæc, ad quæ nos hortatur Apostolus, tam sequi studiosè velimus, quam cum Deo consequi benè possumus.

Eundem supplicibus votis veneramur, ut hujus Academiae Illustrissimos & Amplissimos Dominos Patronos ac *εὐεργέτας*, munificentissimos diu servet incolumes ac florentes, suo spiritu regat, sua manu tegat, omniq; benedictionum genere perfundat, quo nos sub eorum patrocínio eadiscamus in terris, quæ in cœlis jugiter perseverent.

DIXI.



Castitas. 13.
Charitas. 14.
Compassio. 15.
Fides. 16.
Sermo. 17.
Zelus. 18.

FF 111



ULB Halle 3
003 266 753




A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

A

VD 77

Retro







22
22.

D. T. O. M. A.
JOHANNIS TARNOVII,
DISSERTATIO
DE DICTO APOSTOLICO

I. Timoth. IV. v. 12.
QUÆNAM JUVENI
THEOLOGO AFFERANT
AUTORITATEM,

à quâ
Labores suos est exorsus Academicos
pro more introductus,

Anno 1614. 8. Junij,
ROSTOCHII
primum Anno M. DC. XXVIII.

edita,
nunc verò recusa
Opera

M. GEORGII HENRICI GOETZII,
Lipf. SS. Theol. Baccal. & Burgenfium
ad B. Virg. designati Pastoris Primarii.

WITTEBERGÆ,
Apud CHRISTIANUM SCHRÖDTERUM, Acad. Typ.
Anno clc lcc XC.

H. 2.

au 2 r

